Jean le Cornu, Grandmaster. Act containing the minutes of the Chapter held in Boigni on 12th June 1494.

- Transcribed in: Piéces Justificatives [doc. no. 22] in Gautier de Sibert. Histoire des Ordres Royaux, Hospitaliers-Militaires de Notre-Dame du Mont Carmel et de Saint-Lazare de Jérusalem. Imprimerie Royale, Paris, 1772, p.ii-iii

N.° 22.

EXTRAIT DES ARCHIVES DE L'ORDRE.

'ACTE contenant une partie des affaires qui furent agitées & réglées au chapitre tenu à Boigni par le Grand-maître Jean le Cornu, le 12 juin 1494.

UNIVERSIS preſentes Litteras inſpecturis, frater Johannes le Cornu, Miles, humilis Magiſter generalis totius Ordinis & nobilis Militiæ Sancti Lazari Jeroſolimitani citra & ultra mare, Ordinis Sancti Auguſtini, ac domus conventualis ſeu Preceptorie de Boigniaco dioceſis Aurelianenſis, Preceptor & proviſor, totuſque *ipſe conventus & Capitulum* ejuſdem Ordinis & nobilis Militiæ, ſalutem in Domino ſempiternam. Notum facimus quod nos die datæ preſencium ex laudabili & antiqua conſuetudine ab omni tempore inconcuſſe obſervata in noſtra Religione & Ordine, ad *ſonum campanæ more ſolito congregati, & Capitulantes*, Capitulumque noſtrum generale in dicto loco de Boigniaco tenentes & celebrantes, ac univerſalem noſtre Religionis ceu nobilis Militiæ ante dicte repreſentantes congregationem, de negociis, commoditatibus & utilitatibus dictæ noſtræ Religionis ac domus predictæ

de Boigniaco pertractantes, compareamus, inter alia quaſdam duas noſtras domos Pariſiis ſitas & ſituatas, unam videlicet a la *Savonnere*, tenentem ex una parte cœmeterio Sancti Jacobi de la Boucherie, & heredibus ſeu cauſam habentibus deffuncti..... Quatre-lives, parte ex alia, alteram vero *à la Pierre-au-lait* ſituatam, tenentem ex una parte ipſis heredibus, & ex aliis partibus a la voye..... eſſe *oneratas ex reditu annuo* quinque libr. turon. conſiderantes etiam *utile fore & neceſſarium* nobis & domui noſtre præfate de Boigniaco domum propriam in villa Aurelianenſi pro nobis & bona..... atque grana *nobis debita* in dicta villa Aurelianenſi ſecurius cuſtodiend. & hoſpitand. *reponere*, que fieri etenim non poſſunt abſque magnis denariis & ſommis pecuniarum al. in hoc *impendendarum, quas de preſenti non* habemus nec habere poſſumus, niſi aliqua de bonis ſeu redditibus noſtris *alienaremus*. Verum quia, prout didicimus, honorabilis & prudens vir Magiſter Franciſcus Tixier, Domini noſtri Regis Secretarius, qui pro nobis & dicta noſtra Religione erga prefatum Dominum noſtrum Regem multa ſervicia & bene placita fecit (.....) nobis Magiſtro generali ad cauſam dicte noſtre domus de Boigniaco annuatim in *decem* libris *turonenſibus* redditus ſuper loco ſeu meditaria appellata la *Moyſe*, in parochia de Taverſo ſita, ſpectante eidem Texier.....quem quidem redditum ipſe Texier a nobis..... ſeu redimere *peroptat*, nobis relatum extitit, & pro redemptione obtulerit dare ſommam *trecentarum librarum turonenſium* una vice ſolvendam, que omnia premiſſa per nos Magiſtrum prefatum in dicto Capitulo præaſſiſtentem, Capitulantes, Preceptorem & Religioſos in deliberacione poſita fuere, ſuper quibus *habitis opinionibus*..... *Capitulantium*, concluſum extitit.....
In quorum premiſſorum fidem & teſtimonium preſentes noſtras Litteras *ſigillis noſtris, ſcilicet Magiſtri* generalis & *conventus predicti*

predicti de Boigniaco fecimus roborari, & ſigno manuali noſtri Scribe & Notarii ſubſignati ſignari. Datum & actum in dicto Capitulo generali anno 1492, die martis poſt feſtum Pentecoſtes, ejuſdem anni duodecima menſis junii. *Sic ſignatum* LE VOYER.